
XIII.
DE
DISCIPLINA SCHOLAE
ISENACENSIS LVTHERI
MAGISTRAE.

Et ipse Lutherus in adolescentiae memoriam rediens, Isenaco quantum debeat crebrius prae se tulit, et alii, qui de vita viri commemorant plerique omnes impositi officii ratione admoniti silentio praetermittere haud potuerunt, suscepisse eum hanc urbem quindecim annorum adolescentulum, per quadriennium gremio suo fouisse, iis denique praeceptis et artibus instruxisse, quibus locupletatus Erfordiam concedens ad Academica studia venit paratior. Prima de vita Lutheri historia ^{a)}, in publicam lucem emissa, siue quod ab amico venit eorum, quae scribenda erant

a) Vita haec Lutheri a *Melanchthone* primum praefationis loco *Operum Lutheri Tomo II. Vitemberg. 1546.* praemissa est. Anno sequenti 1547. seorsum edita, a *Pollicario Cygneo*; repetita mox Erfurti 1548; rursus *Vitemberg. in officina Ioannis Lufft 1549*, quam editionem, quae in manibus est nulli, qui ex instituto eas commemorant notatam inueni. Postea